

I. 2. 3. 10. II. 12. 13. 20. III. 21. 22. 23. 30. IV. 31. 32. 33. 100.

ut tota congeries infinitorum numerorum sit acies ex quaternis seriebus, & quaternarum serierum quaternionibus, quasi constructa, sub qua formalitate mirificum in computando compendium intellectui largitur. Adhuc præcisius definiendo (nam pro vario considerandi modo variare possunt definitiones, ut ut idem retineatur definiti vocabulum) Tetractys formalis erit quaternarius formaliter spectatus, qui proprietatibus ejusmodi formalibus pollet, ut si juxta rationem ejus omnes Numeri concipiantur siti, mirificum computi compendium obtineatur.

Atque sic Tetractys ipsum Quaternarium interdum subinfert, non tamen absolute, sed modaliter & respectivè sumtum, quatenus ordinem certum, nempe quaternarium seu quaternalem, reliquis numeris omnibus largitur, cujus ordinis Radix est ipse Quaternarius.

Unde Tetractys sæpè Radix appellatur, teste Irenæo L. 1. c. 1. qui πυθαγορικὴν αἰτ, τετρακτὺν πρῶτον ἢ ἀρχέγονον, ἢν ἢ εἶξαι τῶν πάντων καλῶσιν, Pythagoricum quaternarium primum ac primigenium, quem & radicem omnium vocant. Hierocles pariter, postquam dixisset, naturam ipsam inter quaternarium subinde se continere, neque illum in maximis rebus, in elementis scil. in anni tempestatibus & aliis, excedere, concludit: καὶ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ἄλλο μὴ τῆς τετρακτύος ὡς εἶξης, καὶ δεχῆς, ἢ τεταται. ἔστι γὰρ, ὡς ἔφαμεν, δημεγὸς τῶν ὅλων καὶ αἴτια ἡ τετρας, h. e. neq̄ dici quicquam potest, quòd à quaternario veluti radice ac principio non dependeat. Siquidem est, ut dixi, omnium opifex atq̄ causa.